



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Caput 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

Post quem XL. MARTIANVS à militibus & ab exercitu, instante etiam Pulcheria sorore Theodosij, regina, efficitur & ipse sublimatur in regno, eaque Valentinianus in r conjugium assumpsit. Valentinianus & mater Placidia moriuntur Romæ. In Gallia terræ motu factò, tertia feria post Solis occalum ab Aquilone plaga è cælo ruens quasi ignis & sanguis efficitur.

Caput 4.

r corrig. confortium, imperii scilicet.

Gens Hunorum n pace rupta in Gallias irruit, quos cum Aëtius Patricius venientes comperisset, sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum ad Theodorum regem Gothorum in legationem dirigit, petens auxiliare contra Hunos subsidium: & si superaret, mediam partem Galliæ Gothis daret. Cùm à Theodoro rege huius petitioni annuente auxilium fuisset promissum, Aëtius legatos mittens ad Attilā regem Hunorum, obuiā petens auxilium contra Gothos, qui Gallias putabantur inuadere: si prævalerent Huni contra Gothos, medietatem Galliæ ab Aëtio perciperent. Attila Rex cum Hunis festinans & parcens ciuitatibus Germaniæ & Galliæ, contra Gothos super Ligerim fluuium, non procul ab Aurelianis configit certamine. Cæsa sunt Gothorum ducenta millia. Theodorus rex hoc occubuit prælio. Cæsa sunt Hunorum centum quinquaginta millia. Ciuitas Aurelianis orationibus Beatissimi Aniani liberata est. Huni repedantes Trecaſſis in Mauriacensi confederunt Campania. Thorſimodus filius Theodori, qui ei successit in regnum, collecto Gothorum exercitu, patrem vlcisci desiderans, cum Attila & Hunis Mauriaco configit certamine, ibiq; tres dies vtræq; phalanges inuicem præliantes: & innumerable multitudo gentis occubuit. Aëtius cum esset strenuissimis consilijs, per noctem ad Attilam veniens, dixit ad

Caput 5.

Mmm 3 cum,